Q. F. F. S.

DISPUTATIO SOLENNIS, DE ASSISIIS SEU ACCISIS,

Quam

AUTORITATE AMPLISSIMI JURIS-CONSULTORUM ORDINIS

Sub Præsidio

VIRI MAGNIFICI

DN. JOHAN. FRIDERICI RHETII,

J. U. D. Antecesſoris, h. t. Univerſitatis RECTORIS, & Facultatis Juridicæ DECANI,

Domini ac Promotoris ſui omni obſervantia colendi,

PRO LICENTIA,

Summos, in Utroq; Jure, honores, ac Privilegia Doctoralia ſolenniter conſequendi,

Publice examinandam proponit

JOHANNES JACOBUS THIELE,

Mönchberg. Marchicus,

In Auditorio Juridico, horis ante, & pomeridianis, Ad diem XIII. Februar.

FRANCOFURTI,

Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI, A. C. 1668.

Plurimum Reverendo, Clarissimo, Doctissimo atq; Excellentissimo

DN. JOANNI CHRISTOPHORO LUDECO,

Templi ſuperioris ArchiDiacono vigilantisſimo, meritisſimo,

DN. JOANNI Thielen / Reipubl. Francofurtenſ. Camerario,

DN. PETRO Krauſen / Mercatori prudentisſimo & integerrimo,

Dnn. Mecœnati, Parenti, & Socero honoratisſimis,

In ſummæ obſervantiæ & amoris filialis teſſeram certisſimam

Hanc Diſputationem Inauguralem

D. D. D.

Johannes Jacobus Thiele.

PROOEMIUM.



Oeteris quidem mortalibus in eo consilia esse debent, ut, quod profuturum sperant, cordi habeant. Principum autem diversa sors, quos Fisci jura reddunt divites: Ast nec ipsis istud negligendum penitus; sed quo publica Res felicior inde viget, curandum intentius. Neminem nervis Rerum gerendarum destitutum, Pacis vel belli jure frui potuisse, unquam comperi. Hostiles soli ubertas indigenam indigentiam supplevit quandoq; ; sed vestigiis istis niti, fragile est. Plura memoria prodita exempla sunt cladibus nobilitata eorum, qui proprio ærario vacui, prædæ securi spe omni exciderunt, ac propriorum fecerunt jacturam. Na Cæsar famam extensurus factis, Dione teste diligens pecuniæ erat, nec potentiam, nisi sumptibus & milite augeri posse, prudenter rebatur. Imò successus omnis expers, paci ac tranquillo statui invigilabit, ærarii sui & redituum incuriosus; unde in legationes publici boni causâ suscipiendas erogabit sumptus? quid salariis sibi ab officiis, vel Magistratuum aut Judicum vices subeuntibus debitis, ut innumera alia, quæ publicum urgent, taceam, impendet? Gratia sane ministris hisce sola non sufficit: quibus oneri gratia in quæstu solet esse ultio, *irreparabili Reipublicæ damno. Monebat id experientiâ edoctus* Tacitus: Dissolvitur imperium si fructus, quibus sustinetur, diminuuntur. *Et subsidiis cessantibus curanda negligun-*

lib. 42.

l. 13. Annal.

 tur.

tur. Verum ita locupletandum ærarium, & exigendi reditus, ne subditorum bona absorbeant, ac quibus pluries frui licuisset una inconsulto deleat exactio; Promptius exsolvunt onus mollioribus invitati viis, quam durioribus adacti mediis debitum lenius. Noverat id Themistocles, qui impetrare quam imperare malebat. *Satis imperat qui rogat potentiâ. Rigor quidem refractarios coerceat sæpius necesse est, nec necessitas interdum tributis modum sinit, semper tamen ita exactionem temperandam monent, ne Tyrannidis incurrant notam: Attamen rigor necessitate suadente minus exuit viribus subditos, quam prava solertia pedetentim omni pecunia cives emungentes excogitatæ artes. Quæ plerumq; nec sumptibus modum ponunt, nec oneri finem sinunt. Has præter rem excogitantibus nullibi, licet sero, impune fuit. Modos quibus ærario succurri possit, etiam egeno multi descripsêre, ac plures ejusmodi usus docuit. Inter potissimos, & si indolem teneant, maximè innoxios* Accisas *referunt, parum latino quidem sed passim recepto vocabulo. Nec ipse subditis intolerabiles reputaverim indistincte, si modum servent; quo sine, oneri non modo sunt sed supprimunt incautos; præsertim si alia simul exsolvenda tributa urgent, quæ negotia premunt, eoq; tandem interimunt, annonam vero augent nimium. Nullibi autem commerciis silentibus, annona cara, publica salus laborans emerget. Perinde nec statui cuiq; Reipublicæ, nec civium moribus quibusque, nec commerciis promovendis conveniunt; quæ cuncta easdem in Civitatem vel Rempublicam integram invehenti serio considerandа, ne publicum, cui succurrere satagebat, pessundet. Multi quidem de hisce sparsim multa tradidêre memoriæ, sed qui Collectas, quas Accisas vocant, peculiari tractatu exposuissent novisse mihi haud datum. Cum autem avo hoc materiam, qua publico conducere possint Accisæ, qua non,*

And. Fricius lib. 3. cap. 13. de Emend. Republ.

venti-

ventilatam percepi; operæ pretium futurum æstimabam, si eandem pro Disputatione Solenni, privilegia Doctoralia modeste promeriturus, qua ingenii vires sinerent, tractare eligerem; Ni enim quod tractamus usu valet, tractatio inanis est & stultus labor ineptiarum. Verum tamen mihi nulli sumo ad species vel individua Civitatum aut Rerumpublicarum descendere, iisq; modum scribere, quid sequendum potius, quid vitandum conducat. Sed quæcunq; expono generis limites tenebunt. Si cuidam eosdem excessisse visus fuero, minime dictum vel positum volo. Constitueram quidem particularia magis apponere, ne vero præcipitis judicii ullo modo reus fiam, manum detinui. Nec quenquam futurum spero, nisi Zoilum, qui privatas hasce meas ac innoxias cogitationes aliter quam pro privatis & innoxiis sumet. Bonus ac carpendi studii purus facile observabit Academico more & solius exercitii causa, omnem hanc institutam meditationem. Sicubi ingenii vires difficultati parem esse haud siverunt, nemo me promptius hortabitur, quam ipse sequar monentem. Methodum, qua fieri potuit, secutus sum Logicam, cum materiæ tamen indoles eam aliquando non cepit, veniam merebor, qui Ciceronis ductu non tam divisionem quam fractionem polliceor. Sin felicioris ingenii aut usu edocti homines magis sibi hanc vindicabunt materiam, ingenii vires inibi experiri poterunt. Mihi, quod Deus felici auspicio velit, sit

CAPUT I.

De Etymologia, Synonymia, & Homonymia Accisarum.

§. 1.

NE securus vocum Rerum jacturam faciam, vocabuli vis evolvenda principio est. Sæpius enim usu venit

venit ut negotium in ipsa rei tractatione decidi nequeat, nisi definiti indole probè perspecta. *arg. l.15. ff. de Negot. gestis.* Fini huic Etymologia, Homonymia, Synonymia inservit. Accisæ autem latino potius an Gallico idiomate Originem debeant parum ambigo, pro utroque argumenta militant.

§. 2. Derivatur autem Accisa vel effectum rei respiciendo veluti ab accidendo, eò, quòd à re objectâ aliquid accidatur, aut defalcetur. *Besold. in Thesaur. Pract. voc:* Umbgeld. *Caspar. Klock. de Contribut. cap. 1. num. 310.* vel ad Vocabulum Gallicum Assise alludendo, quod consessum significat, quia Teloni in suis Teloniis plerumq; sedent. *Webner. in Observ. Pract. voc: Accise. & Döring. in Bibliothec. eod.* quæ pluribus persequi nihil juvavit. Sufficiet itaque paucis illam, & quidem summis ut ajunt, digitis attigisse, ne de re cuivis obvia disserentes, façem soli præferre videamur. Synonymiæ potius sternenda via. Ad quam quomodo in diversis locis pro modo impositionis factæ salutetur referre cogor; qua ratione alicubi Ungeld oder Umbgeld / idem quod Accisa denotat, vom Besuch der Wirthshäuser / oder vom umbgehen in die Schenckstätte nach der Weinglocke / als des Abends zu gewisser Stunde die Glocke geläut / und welcher Bürger über solche Zeit im Wirthshauße beym Truncke betretten / deßwegen umb etliches Geld gestraffet wird / uti Wratislaviæ observari audivi. *Gyland. decis.* 20. secundum *Joannem Dubravium lib 21. Hist. Bohem. fol.* 176. daß es den Beutel leere und ohne Geld mache. Alii uti *Caspar. Klock. de Contribut. cap. 1. num. 310. & Martin* Zeller in seinem Handbuch von allerley nützlichen etc. Exempeln / im andern Theil / unter dem Titul vom Aufflagen / *p. m. 15.* von der Gleichheit / daß es umbgehe und einen jeden betreffe oder umbgeleget

get werde. Ohmengeld. Idem *Klock. de Ærario lib. 2. c. 59. num. 5. Joann. Otto Tabor. in Exercit. Academ. de Jure Cerevisiario p. 1. c. 5. §. 2.* Datia. Actesia. *Webner. in d. Obs. Pract. voce* Umbgeld. Tafernen Geld/ weilen theils Orten nur die Wirthe das Umbgeld zu geben haben. *Zeiler. d. l.* Licenten, Impoſten. *Klock. de Ærar. lib. 2. c. 78. num. 10. Tabor. in d. Exerc. part. 2. cap. 1. §. 3. fere in fine* Loſung/ ubi apud Norimbergenſes. Conſumptio. Churfürſtliche Brandenburgiſche Conſumptions- oder Acciſe-Ordnung. Gabella *Klock. de Ærar. cap. 59. lib. 2. num. 15.* Bierſteuer/ Bierrecht/ Tranckſteuer. *Knichen. de ſublim. Territor. Jure cap. 3. num. 331.*

§. 3. Homonymiam quod attinet, Vocabulum ſumitur vel latè vel ſtrictè. De Latiori ſignificatione quatenus pro oneribus publicis quibusvis imponendis ſumitur, non agemus, ſed Propria nobis ſolùm curæ erit, quæ à *Georg. Mund. à Rodach. in tract. de Munerib. Honor. & Onerib. cap. 9. num. 18. autoritate Schepliz. ad Conſuet. Marcb. part. 4. Tit. 13. §. 1. & 2. num. 3.* definitur, quod ſit tributum, quod in Civitatibus de variis rebus, frumento puta, Cereviſia, ſale, Vino, & aliis mercibus quæ inferuntur, venduntur, atq; emuntur, exigitur atq; ſolvitur. Unde commodius ita deſcribi poſſe autumem: Acciſa eſt Collecta à Magiſtratu, rebus venum expoſitis, impoſita ad onus aliquod maximè urgens ſublevandum. Generis vices collecta induit, quod acciſas neminem imponere poſſe crediderim, niſi qui Regalia poſſidet & hoc ſenſu propius non invenerim generis loco aptum, de quo pluribus ſequentibus. Reliqua verba differentiam ſpecificam habent, quæ unde deſumpta ſit ſequentia capita exhibebunt. *Webner. in Obſervat. Pract. voce* Schatzung/ ubi collectæ nomine Acciſam refert, idem de gene-

ris commoditate sensisse videtur. *Ripa Consil.* 186. *num.* 6.

§. 4. Proinde, uti collecta natura sua certam ac annuam praestationem non habet, sed incertam propter necessitatem occurrentem, qualis impositio non fit ob causam ordinariam, sed extraordinariam. *Gail.* 2. *Obs.* 52. *n.* 10. *ibiq; Dd. alleg. Wesenbec. cons.* 27. *n.* 24. *p.* 1. Pet. *Heig. qv.* 18. *num.* 2. *p.* 1. Ita etiam Accisa, utpote quae extraordinariè imponuntur rectè muneribus annumeratur extraordinariis, *Rodach. in d. tr. de Muner, &c. c.* 19. *num.* 6. *& seqq.* Licet dissentiat *Webn. in Obs. Pract. voce* Ungeld/ ad Ordinariam referendo, qui tamen *à Magnif. Viro Casp. Klockio de Ærar, lib,* 2. *c.* 59. notatur, & quidem, quamvis is, cui Provinciales Imperialesq; collectae, aliaq; Regalia competunt, etiam Un/ und Tafernen Geld/ jure percipiat, & hoc in recognitionem Superioritatis solvatur, uti ex allegato Knichen patuit: non tamen è vestigio sequelam habet quod eo natura sua Ordinarium munus efficiatur, cum plerumq; Reversales desuper dentur. Si autem Ordinarium esset, nec Ordinum consensus requireretur, neq; ullis reversalibus opus esset, sed vel vigore Regalium vel ut fructus Jurisdictionis exigeretur, *Rodach. d. tr. cap.* 3. *n.* 129. Alii etiam hac ratione utuntur: Juris esse tralatitii precario non acquiri jus, neque precariam possessionem diutius durare, quàm concedentis voluntas permittat, *l. commun.* 7. §. *neq;* 11. *ff. comm. divid.*

§. 5. Non autem ex hoc statim nego, quod extraordinarium munus interdum Ordinarium, cùm scilicet publica lege postmodum inducatur, *l.* 1. *C. de Indictionib. lib.* 10. *Gail. lib.* 2. *Observat.* 53. *num.* 8. *&* 9. vel praescriptione aut consuetudine, *Matthias de Contrib. c.* 1. *num.* 27. fieri non possit. Unde quadantenus illorum

opi-

opinioni, poteſt ſubſcribi, qui putant, hodiè omnem collationem Ordinariæ collationis naturam ſapere, & patrimonialibus aggregandam eſſe collectam, etiam quæ præter morem pro utilitate & neceſſitate publicâ per legem ſive Principem indicitur. *l. omnes omnino. 5. C. de Annon. & Trib. l un. C. de vacat. publ. Muner. Petr. Heig. quæſt. 17. num. 31. usq; ad num. 36. in claſ. part. 1. & allegat. ab eodem Dd.* Eo modo indictionem extraordinarium munus fuiſſe jura noſtra docent poſtea extraordinaria effecta eſt, *arg. l. 1. C. de indic. Franciſ. de Claperiis de cauſa 42. qv.* 1. nam & ipſæ contributiones precariæ vulgò Beede/ cujus veſtigia adhuc in Marchia noſtra & Pomerania ſunt vulgò Ohrbeede vel Ohrbaar/ quarum originem *Matthias Stephani JCtione lib. 2. p. 1. c. 7. num. 50. Koppen. in Obſ. recenſ.* extraordinariæ fuerunt, vim tamen Ordinarii induerunt. *pluribus Webner. in obſerv. pract. voce* Beede.

§. 6. Differt itaq; à vectigalibus. Vectigal enim eſt pecunia, quæ vel portus vel invectionis aut evectionis nomine plerumq; exigitur. *Schönb. in Pol. l. 4. c. 25. p. m. 456.* quo collimat etiam *Jacob. Bornit. de Ærario lib. 5. c. 11.* conf. *Caſpar. Klock. de Contribut. cap. 1. num. 161.* & ut plurimum propter uſum viæ publicæ præſtatur. *Joann à Chokier lib. 2. Theſaur. Polit. aphoriſm. cap. 10.* At Acciſa ob merces diſtractas & venditas ſolum *Bornit. d. l.* (2.) à Tributo quod plerumq; ordinariè annuatim in certa quantitate à poſſeſſoribus ſoli numeratur. *Hermann. Lather. de Cenſu lib. 1. cap. 3. num. 2. Bocer. de Jure Collect. cap. 1. num. 28. Ægid. Thomat. tract. de Munerib. Patrimonial. & Collect. num. 13. p. m. 37.* (3.) Penſione, quam Reges & Principes pacis fruendæ gratia ſibi invicem mittunt. *Lather. d. l. n. 2.* (4.) à ſtipendio quod Penſitatio eſt, quæ fiebat Senatui Populoq; Romano ex agris Provinciarum, quæ erant ipſi aſſignatæ

tæ in Provinciarum distributione, ab Augusto Imperatore olim factâ *Joann. Gœdd. in l.ager.27.num.15. ff. de V.S.* (5) Censu qui est æstimatio rerum & bonorum l. descriptio jugerum & capitum *Gail. lib. 2. Observ. 52 n. 2.*

§. 7. Differentia specifica desumitur à Causa efficiente, quæ est Magistratꝰ, per quē hoc loco summum, seu Regalia habentem intelligo. Materia circa quam s. objecto, quæ est res, quæ venū exponitur, cum rebus se moventibus vel pecoribus campestribus imponitur præter naturam suam extendi puto, cum proprie inde nihil defalcari, ut verbo utar, valeat. Quæ omnia, easdem impositurus, pro ratione Status suæ Reipublicæ, loci, commerciorum temperabit, ne dum â lucris quædam communi publicæ decerpere satagit, ipsas civium substantias deglutiat. Inde inter munera Realia sive Patrimonialia Accisa computatur, cum fiat cum sumptu & expensa rerum, sine tamen labore Personæ. *Remig. de Gonni. de Charitat. subsid. p. 218.* ad quam illi tenentur, qui possessiones tenent, & fructus percipiunt, & deinde res vel fructus vendunt. *l. Jurisdictionis. C. de annon. & Trib.* Finis, ut onus præter spem urgens, sublevetur. De singulis capitibus distinctis.

CAP. II.

De
Causa Efficiente Accisarum
s. Assisiarum.

§. 1.

QVæ ad Nominalem ac Realem Accisæ descriptionem pertinebant, pro instituti ratione in compendio emenso, de iis, qui Accisam imponere possunt,

ſunt, videndum. Enimverò, quemadmodum homo cœtera animalia cuncta longè antecellit dignitate, *l. 44. in pr. ff. de Ædilit. Edict.* ita in noſtro penè receptum eſt jure, ut ea, quæ de perſonis dici posſunt, ante òmnia primo loco expediantur. §. *fin. Inſt. de Jure N. G. & C. l. 2. ff. de ſtat. hom.* Huic legi, & recepto mori, ut geramus morem, nobis, cœteris tamdiu poſt habitis omnibus, primo loco de Perſonis, quæ Acciſam imponant, dicere, commodisſimum videtur. Cum Magiſtratus Imperia non à fatuo Stoicorum fato, aut extrema Caudæ Urſæ Majoris ſtellâ, uti nugatur Cardanus, neq; novis Copernici ſpeculationibus, aut aliis ſignis cœleſtibus, aut numeris, de quibus *Bodin. 4. de Republ. cap. 2.* dependeant; ſed ex Naturantis, & Naturatæ Naturæ ordinatione ſanctisſima, uti ex multis ſacratisſimi Archivi conſtat paginis, quæ ſine mediis haud agit. Ideoque nuda Magiſtratus autoritas non ſufficit, niſi quoque idoneis opibus posſit propugnari, uti fatetur *Boxhorn: in Inſt. Polit. lib. 1. cap. 10. §. 7.* Quæ tamen vel natæ cum Republica, vel ab hac acquiſitæ. Et quantum ad illas, hoc attendendum, cum ab initio Imperia dividerentur; facta quoque eſt bonorum diviſio & proprietas, in qua diviſione id agendum erat, ut tam Reipublicæ quam Privatorum haberetur reſpectus, Unde beneficia naturæ in nonnullis, privatos excludendo, ſolis ſibi retinuere & Reipublicæ, quibus Majeſtatem atque autoritatem facilius tuerentur. Deinde bellis ingruentibus validius reſiſtere, & quidem cum minore Privatorum onere poſſent. Deniq; Privatorum fortunæ ab iisdem ſuperarentur, quod ad majeſtatem atq; ſecuritatem Imperii faciebat. Cæterum cum iſtæ non ſufficiebant, nec oneri ferendo erant, opes aliæ ſunt inventæ, quæ per Tributa & collectas ex privatorum opi-

bus colligerentur, unde illa nervi Reipublicæ dictæ sunt. *l.* 1. § 20. *ff. de quæstionib.* *Joann.* Wilhelm Neumayer von Ramßla *in tract.* von Schatzungen und Steuren *cap.* 2. *n.* 1. *p. m.* 25. quibus Princeps minus, quam animal nervis carere potest, primis scilicet illis in corpore ipsius sensus motusq; instrumentis. *Clar. Reusner in Hortul. Historico-Polit. Cor.* 1. *flor.* 9. Quo circa, cum de Necessitate Collectarum sive Tributorum constet, ordo requirit dicere, quis jure eas instituat. Hoc autem commodissimè futurum, si naturam atque indolem illarum explicemus. Statuimus itaq; has pertinere ad regalia & esse de reservatis Magistratus. *c.* 1. *quæ sunt Regalia, ibi Extraordinaria collatio ad felicissimam regalis Numinis expeditionem lib.* 2. *Feud. Modest. Pistor. cons.* 4. *num.* 1. & *cons.* 14. *n.* 41. *vol.* 2. *Wesenbec, cons.* 27. *n.* 20. *Losæus in tract. de Jure Univers. part.* 3. *c.* 9. *num.* 2. quæ sententia in Camera Imperiali votando & decidendo comprobata ut apparet ex *Meichsner. decis. Cam. Tom.* 2. *lib.* 2. *decis.* 6. *n* 129. §. *quamvis enim* & *num.* 40. quibus si quis gaudeat, etiam hoc jus collectandi competit, modo jura Superioritatis habeat. *Struv. Syntagm. Jur. Feud. cap.* 6. *num.* 21. *Rodach. d. l. c.* 6. *num.* 1. *per l. ad refectionem* & *l. penult. C. de except. rei judicat.* quamvis de his non constet: attamen ex præstatione collectarum intentionem quis fundatam habet, per ea quæ tradit *Schurff.* 1. *cons.* 59. quia collectatio est actus superioritatis *arg. l. rescripto* §. *fin. ff. de Munerib. Wehner. in Observ. Pract. vocab:* Schatzung *p. m.* 589. *Matth. Steph. de Jurisdict. lib.* 2. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 453. *Knichen in Comment. de Saxon. non pro voc: jur. in verbo Ducum cap.* 5. *n.* 301. *Natta cons.* 672. *n.* 4. & 5. ac symbolum ac nota quædam Superioritatis & Eminentiæ *l. nulli* 28. §. *quod si C. de Episc.* & *Cler. c.* 2. *X. de Censibus c. licet omnes de Probat. c. magnum*

11. q. 1.

11. q. 1. alleg. Knicben de Sublim. Territ. Jur. c. 3. num. 108 Pruckmann. conf. 27. n. 35. vol. 1. Sixtin. de Regalib. lib 2. c. 14. n. 21. eò tendens, ut pro curis & laboribus, quos ſuſtinet Magiſtratus, recreationem, pro expenſis, quas facere ac pati, pro pace & quiete inter ſubditos tenenda debet, compenſationem, pro ſuâ item dignitate ſervanda proq; officialium, ob juſtitiam adminiſtrandam, ſalariis, ſubſidium nanciſcatur *Bocer. de Jure Collect. c. 4. n. 3. p. m. 31.* Nam ſicuti Operario jure Naturæ debetur merces, & omne id, quod eſt neceſſarium ad opus, prout expreſsè vel tacitè conventum fuerit, perficiendum: ita & Principi, utpote cujus eſt populum regere, jus dicere, hoſtes arcere, deniq; tranquillitatem & proſperitatem temporalem totis viribus procurare jure naturæ à Populo adhæc ſumptus debentur neceſſarii. *Lesſius de Juſt. & Jur. lib. 2. c. 33. art. 3. n. 2.* & quidem ſecundum proportionem negotiorum gerendorum. Es muß eine Proportion und Vergleichung ſeyn zwiſchen eines Fürſten unnd Herren Einkunfften / gegen aller ſeiner Sorgen / Arbeit und Außlagen. *Joann. Ruremund. in Mammona* oder Schlüſſel des Reichthumbs *c. 3. pag. m. 6.* Non autem quisquam poteſt Collectam imponere, qui merum, mixtumq; duntaxat Imperium ac omnimodam Jurisdictionem habet, *Weſenbec. conſ. 45. n. 8. & 21. part. 1. Sixtin. de Regalib. lib. 2. cap. 14. num. 17.* quia collectæ potius ſunt ſpecies Regalium quam pars vel ſpecies Jurisdictionis *Weſenb. d. l.* Non obſtat (1.) quod *Cothmann. Reſponſ. 11. num. 43. lib. 1.* ſcribit; Jurisdictionem eſſe fundamentum Collectarum; & radicem omnium onerum, quia intelligendum hoc de illis, quæ communi Univerſitatis decreto, ob neceſſitatem Communitatis imponuntur, non vero de iis, quæ per modum præcepti & indictionis decernuntur. *Koppen.*

pen. decis. 32. n. 8. Sixtin. d. l. c. 14. num. 22. & seqq. Bocer. d. tract. c. 5. num. 9. vel Jurisdictio accipitur pro potestate summi Imperii, quæ in ipsâ Politia consistit, quæ videtur etiam sententia. *Knichen. de Jure Territ. c. 3. n. 344.* eorum qui territorii jus, Jurisdictionis vocabulo expresserunt, uti *Paurmeister, Matthias Stephani, Thomas Michael, Lampadius.* (2.) Quod Imperium Regalibus accenseatur. *c. 1. vers. multarum pœnarum compendia. quæ sint Regal. lib. 2. Feud. tit. 56. Menoch. de Præsumpt. lib. 3. præs. 97. num. 27.* quia jus collectandi & imperium merum sunt species Regalium separatæ, uti apparet *ex cap. un. tit. de Decimis in Extravagantib. Communib.* de quibus dicitur, quod ab una ad aliam non bene inferatur *l. fin. ff. de Calumniat. l. naturaliter, §. nihil commune ff. de acquirend. possess.* Non refragantur illa verba *in d. tit. feud. un.* expressa, quod pœnarum compendia regalibus annumerentur. Nam distingvendum inter ipsam Jurisdictionem Criminalem, quæ meri est Imperii, & Judicis Criminalis officio incumbit, & inter pœnam pecuniariam à Reo condemnato per Judicem exactam, quæ ad fiscum pertinet. *l. fin. §. 4. C. de Mod. Mulctar.* Et hoc pertinet ad Regale, & Regalibus annumeratur in dict. Tit. quæ sint Regalia.

§. 2. His itaq; præmissis, inter omnes, quibus jus collectandi competat, ut Numen Terrestre, & quasi stella Matutina in medio nubilæ Meridionalis corruscat Imperator Romanorum seu Germanorum, ab antiquis Dominus Mundi dictus, sive totius orbis. *l. Deprecatio 9. ff. ad L. Rhod. de jact. l. bene à Zenone C. de quadrienn. Præscript:*

-- -- Nullum caput ista super se
Aspicit, excepto Cœlorum Rege, potestas.

Gün-

Günther. in Ligurin. lib. 6. unde in *l. fin. C. de L.L.* nihil in terris dicitur esse sanctius Imperiali Majestate. Quem etiam hodie his prærogativis gaudere commoda satis interpretatione dici posse nullus dubito. Huic proximus est Rex Romanorum, ut & Reges & Principes superiorem non recognoscentes, qui possunt privilegia & immunitates sicut Imperator concedere. *Bart. in l. ambitiosa ff. de decret. ab ordine fac.* & sunt tales in suis territoriis qualis Imperator in Imperio Romano *Matthias de Contribut. c. 1. n. 53.* Hos seqvuntur Imperii Principes priores, Marchiones, Comites, Barones, aliiq; status imperii & qui jure superioritatis territorialis gaudent, qua in territoriis tantum valent quam imperator in imperio, & quidem hoc respectu, ne quidem in quibusquam juribus imperatori reservatis, *Matth. de Affl. ad tit. de his qui Feuda dare possunt. c. 2. num. 62. Menoch. Cons. 601. n. 7. Modest. Pistor. cons. 24. n. 1. lib. 1. Joan. Dauth. de Testament. in pr. n. 36. Matth. d. tr. c. 2. n. 62.* De quibus omnibus nullum est dubium.

§. 3. De Civitatibus tamen controversia inter Doctores est, an habeant jus collectandi? Antequam autem nos ad quæstionem propositam accingamus, lubet antiqvum Romanorum de his visitare statum, eò, quod secundum *Ciceronem in Orat.* Commemoratio antiquitatis, exemplorumq; probatio summa cum delectatione & autoritatem afferat & fidem. Ideoque sciendum in Republica veteri Romana duplex Civitatum genus fuisse, primum earum, quibus propriis vivere legibus permittebatur *l. 1. §. 1. ff. ad Municipal.* quarum cives muneris tantum honorarii cum Populo Romano erant participes, à quo capessendo Municipes appellati, nullis aliis necessitatibus, nec ullà lege adstricti. *Zæs. ad Tit. ff. ad Municip.*

nicip. num. 2. Magnif. *Dn. D. Brunnemann, Praeceptor meus aeviternum colendus in quaest. Wesenbec. eod. tit. qv. 3.*

§. 4. Erat tamen inter hos differentia, alii in summo gradu, ut qui jus suffragii & aditum & honores habebant: alii in remissiori gradu, sine jure jure suffragii, & habebant jus commercii, successionem, connubii & munera subibant. *d. l. 1. §. 1. ff. ad Municip.* Hodie verò generaliter, & abusivè cives cujuscunq; Civitatis Municipes dicuntur. *d. l 1. Dn. Doct. Brunnem. d. l qv. 3.* Alterum earum, quae Romanas, vel leges, vel incolas accipiebant, & Coloniae vocabantur. *Tob. Paurmeister de Jurisdict. lib. 7. cap. ult. num. 5.* Hae quantitate distingvebantur in Maximas, in quibus erat forum causarum, cui multae suberant aliae Civitates, etiam habentes merum Imperium. Magnas, quae quidem merum habebant Imperium non tamen alias Civitates sub se continebant Parvas, quae destituebantur mero Imperio, sed solum Jurisdictionem, quae dabatur defensoribus civitatum, habebant. *Loseus in tract. de Jure Univers. p. 1. cap. 2. num. 20. p. m. 32. Matthias de Contribut. cap. 2. num. 70. Bocer. de Jur. Collect. cap. 4. num. 24. Caspar. Klock. de Contribut. cap. 5. n. 3.* Quae distinctio in nostro jure, nempe in *l. si duas 6. §. est autem 2. vers. decet. ff. de Excusat. Tut.* etiam fundata & approbata, & vocatur in eadem lege Maxima Metropolis. Hinc Civitas, cujus sedes fuit Archiepiscopalis dicebatur Metropolitana quia habebat plures Episcopos sub se, merum Imperium habentes, Illa vero cui Episcopus praeerat, Civitas dicebatur non Metropolis.

§. 5. Sed cum status Reipublicae Romanae in aliam formam redactus, ista distinctio quoque Civitatum quadantenus ab usu recessit, & paulò aliter ex Consue-

tudine

tudine Imperii diſtingvuntur. Nam quædam, omnem aut plenam Jurisdictionem à Cæſare vel Principe ſuo conceſſam, quædam nullam, quædam limitatam habent. Inde nata diſtinctio Civitatum Imperialium liberarum, quæ directo Cæſari & Imperio parent Romano, atq; jus ſeſſuræ & ſuffragiorum in Comitiis obtinent: Municipalium quæ Principibus & Ordinibus immediate ſubſunt Pauermeiſter. *d. l. n. 13.* & Mixtarum quæ certis caſibus & conditiouibus Principes recognoſcant v. g. ſi huic in ſignum clientelæ quid exſolvant, in reliquis vero reſpectu privilegiorum ab Imperatoribus & Imperio obtentorum regalium, & meri Imperii, quæq; his cohærent juribus, ſuam tuentur immunitatem nec propterea ſubditæ dici poſſunt, licet in aliquibus Principem recognoſcant ſuperiorem, ſed liberæ, ſalvis pactorum & conventionum juribus manent; quod etiam confirmat *Gail. 2. Obſervat. 54.* ubi dicit, illas Civitates quæ certa lege & conventione ſuperiorem agnoſcant, extra pacta conventa placidè frui ſua poteſtare ac libertate *conf. Bocer. d. tract. cap. 4. num. 28. Klock. de Contribut. cap. 5. num. 4. 5. 68. 96. & 97.* Ex his ad quæſtionem propoſitam facillima eſt reſponſio, quod omnino competat jus collectandi Civitatibus Imperialibus liberis, utpote quæ Jurisdictionem quæſitam in Urbibus ſuis habent, & tam quoad cauſas quam perſonas, eandem juris reddendi, quam Principes, Comites &c. in Provinciis ſuis, obtinent poteſtatem. *Myl. ab* Ehrenbach *in Archologia Ordinum Imperial. cap. 2. num. 5. pag. m. 211. Beſold. in Theſaur. Pract. verb:* Reichſtadt/ *Matthias d. tract. cap. 2. num. 72. Loſæus de jur. Univerſ. part. 3. cap. 9. n. 3. p. m. 155. Bocer. d. l. cap. 4. n. 39. Klock. d. c. 5. num. 10.* Sunt enim ſtatus Imperii, iisque pene omnia Statuum competunt jura *Matth. d. l. n. 74.*

Klock.

Klock. cap. 5. n. 88. ut jus suffragii & votum decisivum, *uti ex declaratione* der beyden höhern *Collegien* wegen des Reichsstädtischen *Voti Decisivi.* §. deme allen nach *constat, quam suppeditat.* Eitel Friederich von Herden in der Grundfeste des heiligen Römischen Reichs Teutscher *Nation. P. 2. cap. 6. p. m. 141.* Jus etiam Superioritatis Territorialis, die hohe Landes Obrigkeit / Landes Herrligkeit. *Besold. in d. Thesaur. voc:* Reichsstadt. quia habent proprium territorium, & ejus respectu Imperatorem immediatè recognoscunt; Ideo etiam habebunt jus territorio annexum, quod est jus Autocratiæ. Nam cui proprie sumptum competit territorium, eidem quoque competit jus territorio adhærens *Borch. d. l. cap. 4. num. 20. p. m. 45. Klock. de Contribut. pro & contra. cap. 5. n. 33. & seqq.* quod specifice expressum in Instrumento pacis in verbis *cum omnimoda Jurisdictione intra muros & in territorio. art. 8. §. Tum in Univers.* Salvis tamen quibusdam superioritatis juribus & prærogativis, Principibus, aliisq; Statibus Imperii Illustribus speciatim competentibus. Salva etiam Ducalis dignitatis eminentissima prærogativa, quam civitates comiter & libenter merito adorare debent, sicuti etiam faciunt, uti ex declaratione der E. Frey- unnd Reichsstädte Gesandten / quam etiam habet Eitel Friederich von Herden *in d. tract. part. 2. c. 6. p. m. 161. Casp. Klock. d. l. num. 30.* Serram tamen altercationis Doctores inter se reciprocant, quo tempore scilicet fundamenta hujus juris Autocratiæ jacta sunt. Aliis sub Ottonib. Imp. *Myl. ab* Ehrenbach *in d. Archolog. cap. 17. n. 5.* Aliis sub Henrico *Id. ib. num. 8.* aliis sub Friderico II. *num. 9.* Aliis sub Friderico Barbarossa *num. 10.* Aliis ex occasione inter regnorum intestinorum *n. 11.* putantibus. Nos omnibus simul contigisse haud asserimus; Quædam tamen earum

jam

jam ſub Ottonibus & Heinrico IV. potisſimum plena iſta libertate potitæ ſunt, aliæ deinde ſive gratia ſive pretio ſibi eandem immunitatem conciliaverunt.

§. 6. Tranſitum facimus ad Mixtas, an his competat jus collectandi? Et reſpondetur affirmativè per rationes antea dictas, *Klock. d. l. num. 99. 100.* Majoris ponderis quæſtio eſt, an Civitatibus provincialibus jus competat collectam imponendi? quod negandum puto ſed concurrentibus his duobus requiſitis, juſta & legitima cauſa, quæ eſt necesſitas & decreto ſive conſenſu ſuperioris accedente; Alias ſine licentia Superioris cives ad collectam obſtringere ad onera Civitatis ſuſtinenda, poſſunt. *Loſæus d. tract.* §. 3. *cap. 9. num. 1. & ſeqq. Bocer. d. l. cap. 5. num. 25.* Etenim cum hiſce adminiſtratio eſt conceſſa rerum certarum v. g. viarum, pontium, utique etiam ea præſumuntur conceſſa, ſine quibus adminiſtratio illarum geri non posſit. *l. 2. ff. de Jurisdict.* Sed quando, quod mutua contribuentium voluntate collecta indicitur, non ſtatim ullum arguitur imperium, multo minus de regalibus eſſe cenſetur. *Menoch. conſ. 28. num. 34. Weſenbec. conſ. 45.*

§. 7. Verum licet collectæ, quâ ex ſuperiorum privilegio proficiſcuntur, ad regalia pertineant, in inferioribus tamen & Provincialibus Civitatibus, conventionis vel conſtitutionis jure valebunt. Nam ſi ſingulis de Rebus ſuis, niſi quâ lege prohibentur, ſtatuere fas eſt, imo in qualibet ſocietate conventionis jure ſervetur, ut quæ vel ſinguli pacto voluerint, vel ſocietatis Magiſter ſtatuerit, obſerventur; cur univerſitati interdictum de rebus, ad communem uſum ſpectantibus conve-

venire,vel ex conventione pecuniam, quæ in communem impendantur necesſitatem, ſalvo quolibet ſuperioris jure, conferre. *Teſaur. Deciſ. 257. Loſæus de jure univerſ. p. 3. c. 9. n. 1. & 11.*

§. 7. Et inde pro modo initæ ſocietatis iſtius communis, vel antiquo jure univerſitatis, aut cunctis conſentientibus aut quibus jus ſtatuendi in ſe dederint cives ad necesſitatem ſublevandam inter ſe inſtituere collectas valent. Sed ſi omnes convenire nequeant, major tamen pars conſentiret, num minori hoc caſu præjudicaret? Communiter Dd. diſtinctione ambiguum ſolvunt num vel inevitabilis necesſitas univerſitatem urgeat, num ſpontanea fieri debeat collatio, ſin prius majorem præjudicare, *l. 19. ff. ad municip. l. 34. quodquisq; juris. Klock. de Contribut. d. cap. 6. num. 14.* ſi non præjudicio eſſe, non poſſe. *argum. l. ambitioſa ff. de decret. ab ordine faciendis Natta conſil. 115. n. 4. Faber. in cod. ſuo lib. 9. tb. 29. def. 18. num. 1.*

§. 8. Non obſtat, quod factum à majori parte omnib9 præjudicet, quando de re agitur, quæ ad omnes ſpectat collectivè, non quando cuncti, ut ſinguli intereſſe prætendunt, ubi omnium requiritur conſenſus: nam quod omnes tangit ab omnibus debet approbari *l. ſi quis ex argent. ff. de edendo c. quod omnes tangit de R. J. in 6to.* Imò in re communi prohibentis potior ſit conditio. *arg. l. 28. ff. commun. divid.* Quia hoc brocardicum non procedit in actu Univerſitatis, in quo major partis conſenſus de jure præponderat, nec collecta cives, ut ſingulos, ſed uti univerſos concernit. *Klock. num. 113.* & in univerſum, quoties ſingulorum jura in tale momentum

in-

incidunt, ut ſingula exitum habere nequeant, ſed ut communia expedienda, toties major pars ſemper prævalet, de quo *Mevius in Diſcusſ. Levam. Debit. c. 3. num. 91.* Si verò major pars Univerſitatis ſtatueret aliquid contra privilegium Civitatis, vel quod principaliter tenderet in præjudicium ſingularum & certarum perſonarum, tunc non ſufficiunt majora vota, ſed harum diſertus expresſusq; requiritur conſenſus *Abbas in c. veniens de præſcript.* Licet aliquod individuum pertineat ad plures, non tamen unus alteri poteſt præjudicare, ad juris illius totalem peremptionem & privationem.

§. 9. Verum an ea, quæ de Collectarum impoſitione Civitatibus inferioribus permiſsâ, hactenus dicta, etiam ad Acciſam extendi posſit urgente necesſitate anceps eſt quæſtio? Haud defuturos ſpero, qui affirmativa ſectabuntur argumenta, quippè à collectis ad Acciſas procedit, & viceverſa, præprimis quod has per illas definivimus & ſic ſpeciem conſtituimus. At Civitates Provinciales collectam imponere poſſunt præſuppoſitis juſtis requiſitis. E. & hanc propter paritatem rationis. Deinde Municipiis jure concesſum ſtatuta condere, ac iis quæ adminiſtrationem eorum concernunt, ſicuti alia etiam collegia ſuper his, quæ ad eorum artem ſpectant, etiam citra ſuperioris conſenſum. *Magnif. Dn. D. Brunnemann, Præceptor meus ſubmisſe colendus, in qvæſt. Weſenb. 6. Tit. de LL. Bernhard. Suthold. in Disſert. ult. de Jurisdict. §. 28. ubi etiam in terminis noſtram quæſtionem propoſitam affirmative decidit.* Quidni pro necesſitate Civitatis ſtatuta ſuper Datiis ſine conſenſu ſuperioris ipſis ſit concesſum? quod approbat *Webner. in Obſerv. Pract. vocab. Acciſe*, ubi hoc onus privata Magiſtratus autorita-

te,ex vi Jurisdictionis pro uſu Reipublicæ inſtitui poſſe putat cui opinioni etiam patrocinatur. *Frider. Mindanus 2. de Mandat. c. 42. num. 3.* Denique publica illa vectigalia, quæ per modum regalium exiguntur, ſaltem prohibita: non verò, quæ tempore neceſsitatis, Jam Acciſa non vi Regalium, ſed per pactum ſeu contractum volentibus & annuentibus civibus imponi poteſt, ideoque ſub generali legis prohibitione non continetur. Sed non obſtantibus hiſce in ſpeciem rationibus contraria ſententia, ſi ad veritatis & æquitatis lancem ſuſpenderis, firmiori nititur talo, ac ut verba in pauca conferam, ita cenſeo. Si civitas quædam provincialis non niſi cives ſuos contineat, nulli autem qui ipſius jurisdictione haud teneantur vel alio ſpeciali privilegio muniti ſint, eodem modo, pro ut collectæ invicem fieri, ita etiam Acciſas imponi poſſe; præſertim cum pleriſq; inferioribus civitatibus collectandi modus ſit indultus licet principes ſibi collectas ipſas reſervaverint. Ac hoc intuitu Civitatibus iis Acciſas conceſsiſſe arbitror *Eberhardum à Middelburg. Conſil. 42. num. 39. Dn. Mevium modo, d. l. cap. 2. n. 106.*

§. 10. Aſt ſi civitas quædam mixta ſit, oppidanos ſuos, & eos qui vel privilegio ſpeciali muniti, ne ullo premantur onere, vel penitus alii pareant Jurisdictioni contineret, nec ita fas erit Acciſas imponere rebus venalibus, cum per conſequentiam & hos onus tangeret & jurisdictio ultra ſuos extenderetur terminos. Ut taceam, ſi alicubi locorum principis alicujus Regimen per conſiliarios exerceretur, vel Academia Autoritate principali aleretur, qua ratione minus eædem introduci valerent, quo magis loca ejusmodi ab omni onere libera, imò ſancta ab omnibus Imperatoribus, Principibus, penitus

pro-

pronunciata, ut invitentur, qui ſcientiæ amore pingves quandoq; lares linqvunt ut ſolida ſapientia imbuant animum, ac poſt principibus in curarum partem, Eccleſiæ, curiæ, ſcholis proſint, haud ut annona presſi ſe ſubducere inde cogantur.

§. II. Imò militat quandoq; (1.) Generalis illa, prohibitio qua Civitatibus impoſitio Collectarum interdicitur. *l. 2. & 3. C. nov. vect. inſtit. non posſ.* adeò, ut licet communis utilitas vel necesſitas inductionem ſuaderet, tamen hæc, quippe quæ ad tenuiorum diſpendium & relevamen Ditiorum tendit, imponi nequeat, niſi Superior prius conſuleretur, & conſultus concederet; quia Acciſa non eſt exactio privata, nec particularis dici poteſt; cum generaliter, uti aliquoties dictum, rebus imponatur, unde fieri non poteſt, ut tantum cives per eam graventur, quin & perſonæ privilegiatæ, de quibus *in capit. 4.* dicendum, ſubjugentur, & quodammodo æs alienum, ad quod non obligantur, ſimul cum Civibus perſolvere adigantur. Tum etiam quod Collectatio ſit odioſum quid, ergò potius reſtringendum, quam extendendum *Franzk. in Comment. ff. Tit. de LL. num. 51.* Tandem Tributum imponitur pro viribus patrimonii, ita, ut qui multum habet, multum etiam fiſco ſolvat, quæ proportio in Acciſa non poteſt obſervari, quin pauper, qui parum habet, tantundem, quantum ille qui opibus valet, ſolvere cogatur. Denique hoc cumprimis notatu dignum, quam maximum ſuperiori non modo præjudicium ſed & ipſius civibus in poſterum metuendum, ſi Citates in conſulto Principe ſeu ſuperiore ſummam hanc ſibi poteſtatem arrogarent. Hæ enim dum deſtituuntur Regalibus, facillimo negotio ſub velamine atq; prætextu

Necesſitatis & Utilitatis, majores longe exactiones tam rebus, qvam perſonis, ita generaliter irrogare, & ſic non minus in omnes perſonas exceptas & privilegiò munitas, quam etiam Cives ſuos contributionum extraordinariarum procellas crebrius concitare, eosdemq; ſi non directo ſaltem per indirectum pro lubitu gravare, & jura Principis exinanire poſſent.

§. 11. Et his ſatis conſtat poſteriorem opinionem, uti magis æqvitati & rationi conſentaneam, ita etiam priori probabiliorem; parum urgent illa quæ pro affirmativa ſunt adducta, & quidem quoad primum, Civitatem Municipalem quidem poſſe collectam imponere concurrentibus requiſitis ſcilicet necesſitate *Zaſ. in Comment. ff. tit. de Publ: n. 12.* & civium conſenſu, concedimus, modo Necesſitas ſit particularis, ipſam Univerſitatem & ſolos cives reſpiciens, non vero generalis qualem præſupponit Acciſa, quæ, licet ſolis Civibus indicitur, de re tamen, quæ in commercium venit, ſolvitur, ideoque ſuâ naturâ Generalis & ad privilegiatas perſonas ſeſe extendit. Vix enim inſtitui poteſt, quin dictæ perſonæ ſint exemptæ, ſi non principaliter ſaltem per obliqvum & indirectum unà cum Civibus graventur, eo ipſo ſcilicet, quod non minus, quam Cives omnia victualia carius emere cogantur. Licet etiam ex cauſa necesſitatis tamen non in modum Acciſæ ſed in modum Tributi ſecundum æs & libram uti regualiter fit *l. 12. C. de operib. publ. Bocer. d. tr. cap. 8. n. 4. ibiq; allegat.* Quoad ſecundum, concedimus etiam ambabus, ut ajunt manibꝰ, Civitatem poſſe ſtatutum condere, reſpiciens ipſius adminiſtrationem, in præjudicium proprium, non vero in detrimentum Superioris *Abbas in cap. venientes. num. 1. de jurejur. Surd. conſ. 47. n. 17. Klock. de Contribut. cap. 13, num. 18.* fieret autem iſta collectatio

hoc

hoc respectu quodammodo in præjudicium superioris per ea quæ deducit *Webner. in d. Observat. Pract. voce* Accise. & eodem modo ad regalia refertur. *Besold. in Obs. Pract. voce* Ungeld. *Myns. decis.* 11. *Respons.* 1. *num.* 87. *Nolden. de statu Nobilit. cap.* 14. *num.* 14. Et quamvis hoc, scilicet non esse regale, ut tertiæ objectioni fiat satis, ponamus, ex hoc tamen non sequitur, propterea non esse prohibitam, nam ob *l.* 2. & 3. & *t. t. C. nov. vect. inst. non poss.* onera citra consensū qualiquali etiam modo imposita, intelliguntur prohibita. Posito etiam Accisam posse imponi loco Tributorum urgente necessitate, non tamen debet esse generalis, uti diximus, ita ut non subditos, Clericos, forenses afficiat, sed particularis.

§. 12. Quod si vero Civitas superiorem recognoscens sive Provincialis jus imponendi Accisam vel privilegio, vel antiqua consuetudine vel præscriptione acquisiverit, exactio etiam ejus non improbatur, *conf. Joann Otto Tabor. in d. tract. de Jure Cerevis. p.* 2. *cap.* 1. *ubi facti speciem cum ratione processus & quæstionibus controversis per aliquot paginas.* Sed tunc formalia requiruntur requisita, eorum primum est causa justa, quales autem sint illas recenset. *Klock. de Contribut. cap.* 7. *num.* 15. Ideoq, non ad libitum suum & beneplacitum Magistratus quavis ex causa collectas exigere debet, *Bocer. d. tract. cap.* 1. *num.* 4. Quod si non appareat justa collectandi Causa, ipsæ collectæ omnino odiosæ censentur *arg. l.* 1. *C. vectigal. nov. instit. non poss.* unde interpretatio contra eas fieri debet, *Cravett. cons.* 111. *num.* 26. Et quando sine justa causa exactæ sunt, vi extortæ præsumuntur *Menoch. de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 126. *num.* 14. (2.) Defectus Ordinariorum redituum *l. neminem in fin. C. de S. S. Eccles.* Ad extraordinariam enim contributionem non deveniendum

endum, nisi subsidii defectus appareat ex Ordinariis *Klock. d. l. cap. 7. num. 59.* Magistratus quilibet ante omnia de suo se præmunire debent marsupio, antequam subditos collectarum inductione oneret. *Bocer. d. tract. cap. 1. n. 13. Koppen quæst. 32. num. 2.* quia subditi quotannis tributa præstant, ut proinde, cum reditus illos stipendii loco habeat, merito illis proventibus contentus esse debeat. *Klock. d. l. n. 68.* Et hoc procedit in tantum, ut non solum in suam utilitatem, sed & pro publica salute facultates proprias quandoq; erogare teneatur. (3.) Si de his constat tunc semper æqualitas observanda *Georg. Mund. à Rodacb. in d. tract. de Munerib. & Onerib. cap. 7. num. 28. Lessius de J. & J. lib. 2. cap. 33. dubit. 1.* etiamsi statutum extaret in contrarium *Joann. Wilbelm.* Rovenstrunck in Rechtlichen Bedencken gemeiner Anlage. *num. 26. p. m. 41.*

§. 13. Ut in bellis & præliis exiguæ fossarum & rivorum depressiones integras phalanges & acies totas distrahunt & sæpe magnis cladibus occasionem præbent ita omnis dissimilitudo quamvis levicula dissidium inter cives efficit *Matthias de Contribut. cap. 3. num. 18.* Jus & æquitas Civitatis vinculum est, tanquam alterum, atque proximum â religione recte administrandæ Reipublicæ remedium atq; fulcrum, neq; ullum tutius Magistratuum præsidium, aut nullum firmius gubernaculum quam juris & æqui conservantia *confer. Arnold* Mengering. *in Scelerato Metatore p. 62. in fin.* Quippe justitia distributiva, qua sustentatur Civilis politia Geometricam imponit gravaminibus proportionem. *Klock. de Ærario lib. 2. cap. 52. in pr.* hinc si Cives absque hac onerentur, vel si gravamen sit immodicum, ut si alicui species v. g. farinæ Cerevisiæ tantum imponatur, ut qui illum faciunt, vel vendunt, non possint ex lucro se sustentare, respectu horum

est

eſt immodicum. *Lesſius d. l.* Quantum autem in his duobus duntaxat ſpeciebus peccetur, id praxis quotidiana docet. Num æquitati & Geometricæ proportioni ſit conveniens, ut Zytopeptæ, Piſtores indiſtinctè de re objectâ Acciſam, non habito reſpectu ad id, quod ipſimet cum eorum familia ex necesſitate conſumant, illi judicent, quibus de

De meliore luto finxit præcordia Titan,

CAPUT III.

De Materia Acciſarum.

§. 1.

IN definitione hujus diximus, objectum eſſe res, quæ venum exponuntur, quarum ſpecies ſunt multifariæ, quas omnes ſi recenſere vellem, non minus breviorem texerem catalogum, quam eſt Homericus Græcarum navium. Inter illas autem familiam ducit res, quæ ad necesſarios uſus, & inopiæ ſolatium emuntur, ut ſunt panis, potus communis civium, caro & ſimilia, quibus regulariter imponi non poteſt. *Lather, de Cenſ. lib. 2. c. 2. num. 5. Klock, de Ærario lib. 2, cap. 66. n.* 30. *ibiq; Dd. quam plurimi. Koppen. quæſt. 50. num.* 30. quod etiam expreſſe probat. *L, Univerſi 5. C. de Vectigalib.* in qua ſub pœna capitis, tale vectigal eſt prohibitum, quia in illis non ſervatur juſta forma, quæ poſtulat, ne pauperes magis onerentur quam divites, ſed quisq; pro portione ſuarum facultatum & lucrorum. Növenſtrunck *in d. tract. num.* 136. *&* 137. *p.* 97. *Matth. d. cap.* 3. *num.* 11. *Bocer. cap.* 12. *num.* 2. Et Experientia teſtatur, illos præprimis quibus culina

 frigida

frigida domi langvet foco *teste Comico:* plurimis liberis opprimi: Unde de rebus suis plura debent vendere, & de alienis ad necessarium usum emere. Divites è contra non coguntur sua vendere, & possunt alere pecora, & reliqua necessaria ex suis villis parare, possunt etiam observare tempus quo res sunt viliores, & tunc magno commodo coëmere. *Less. de J. & J. cap.* 33. *dubit.* 7. *n.* 50. Unde consuetudo contrarium docens tanquam irrationabilis rejicienda. *Klock. de Ærar. d. c.* 66. *num.* 4. *& de Contrib. cap.* 5. *num.* 142.

§. 2. Hinc ita conqueritur Politicorum tuba *Henning. Arnisæus in tract. de Jur. Majest. lib.* 3. *cap.* 7. *sub n.* 5. Eò res devenit in nonnullis Germaniæ provinciis, ut pro frumento quod ad molendinum defertur, & pro eo, quod bibimus, quo sustentamus corpus & vitam, vectigal præstare, & ea quæ nostra sunt, quasi iterum emere cogamur. Cum tamen dispendium sequatur ex eâ tantum æquitatis ratione, ex quibus quæritur compendium. Et *Joann. Angelius Werdenhagen. in Synops. in Rempubl. Bodini lib.* 6. *cap.* 26. *p. m.* 707. Laudatissima sane, inquit, Romanorum prudentia in eo se exerebat, quod nulla vectigalia legibus sint indicta earum rerum, quæ ad vitam commodius honestiusque degendum asportarentur; sed tantum in illis speciebus *in l.* 16. §. 7. *ff. de Publ. à JCto Martiano enumeratis.* Numne nos ad victum necessariis prorsus vectigal imponemus. Num æquiores hi Ethnici Christianis? *confer. Bodin. de Republ. lib.* 6. *cap.* 2. *p. m.* 1037. Concludimus itaq; cum JCto magni nominis *Caspar. Klock. & Angel. cons.* 290. *num.* 8. *ab eodem allegato in tract. de Contrib. c.* 9. *num.* 33. Sed quid jure convenire æstimem, disputo, usum quemq; experientia & conscientia docebit.

§. 3. Quod

§. 3. Quod si verò rebus, quæ minus nocere possunt pauperibus, id est, non ex iis sunt, quæ ad victum quotidianum pertinent, sed quæ inserviunt voluptati, deliciis, splendori &c. optimo jure Accisæ impositio permissa est, *Laeber. de Cens. lib. 1. cap. 9. num. 50. Bornit. de Ærar. lib. 4. cap. 6.* qualia sunt Comœdiæ, Convivia, vestitus. Quocirca *Bodin. lib. 6. de Republ. cap. 2. p. m.* 1034. præclarissimum & omnibus maxime apud Christianos dignissimum vectigalis genus tantopere commendat his verbis: *Quod si quis est, qui de me scire velit, quodnam genus vectigalium immortali DEO gratissimum, Civitatibus pulcherrimum, Principibus honestissimum, plebi nobilissimum, illud est quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant; aurea inquam & argentea suppellex, odores, pigmenta, innumerabilia, vestium ornamenta, colores pretiosissimi, gemmæ, margaritæ, cupediæ, cæteraq́ generis ejusdem: quæ probibenda non sunt, nec, si velis, possis, ut Platoni visum est capite quingentesimo quinto legum suarum: cum ea sit hominibus insita vis ac natura, ut nihil avidius expetant, quàm quæ sanctissimè vetantur. Quamobrem Principes qui Aquiloniis regionibus imperant, nullum vectigal majus habent, quàm ex Vino, quo subditi, ut carere possint, nolint tamen; sed assiduè locis omnibus sese ingurgitabunt semper.* Hactenus ille,

§. 4. Comœdias quod concernit, hæ ab omnibus non sunt approbatæ. Lacones Comœdias & Tragœdias non audiebant, ut nec serio nec joco quicquam audirent repugnans legibus. Leges enim prohibent stupra incestum & adulteria: prohibent dolos, injuriam cœteraq; flagitia: at in fabulis talia Poëtæ Diis affingunt. Nec placuit illis quorundam excusatio fabulas

 ad

ad voluptatem fingi, non ad fidem veri. Voluptas ea corrumpit imbecillium animos. Hanc ob causam Archilogum Poetam, cum venisset Lacedæmonem eâdem horâ expulerunt, quod intellexerant ab illo scriptum: satius est abjicere arma, quam mori. Aliud exemplum recenset *Klock, de Ærar. lib. 2. cap. 19. num. 3.* de Phrenico Poëta, tragœdiam Atheniensibus, sumpto argumento ab expugnatione oppidi Milesi, exhibente, quæ totam Civitatem concussit luctu. Nam populus calamitatis memoriam refricando, misericordia permotus toto Theatro in lacrimas effudit. Ideo iudices dicta die Phrenico, eò quod insolenter præteritas miserias Scenicis fabulis annumerasset, luctum publicum renovasset qui hilaritate leniendus erat, hunc frustra Scenæ libertatem, veteremq; licentiam opponentem mille drachmis multaverunt. Belgas quidem permittere ferunt Comœdias & Tragœdias; sed ita demum, ut cum publice quæstor Comædorum stans ab una parte pecuniam pro Comædis recipit, alius aliquis nomine Reipublicæ stet ab altera parte, qui ab iisdem spectatoribus aliquid accipiat, ut simul hac ratione curiosis hominibus indulgeatur & publicæ rei consulatur. *Georg. Mund. à Rodach. d. tr. c. 9. num. 26. p. m. 403.*

§. 5. Convivia quæ signa debent esse benevolentiæ, in quibus aluntur amicitiæ, animi confirmantur, docentur, & alliciuntur, unde vetustas quatuor poposcit in Conviviis. (1.) Modicum apparatum, (2.) suave colloquium. (3.) Veram Convivarum benevolentiam. (4.) Bonum vinum ad exhilaritionem. Eum quippe in finem in plerisq; Græciæ civitatibus Eranistarum collegia habebantur, qui stipem conferebant ut stato tempore hoc honesto & jucundo pariter ritu convivarentur. De quo

pluri-

pluribus in doctisſimo tractatu *Salmaſius de Uſuris cap.3. p.m.49. & ſeqq. Lather. de Cenſ. lib.1.cap.10.num.17.* Sed quam procul jam â Priſcorum ſimplicitate receſſum verbis exprimi non poteſt. *Schönborn.lib.3.Polit.c.17.* Communis Germaniæ Præceptor Philippus ille Melanchton conqueritur, quod hodie convivia meræ ſunt profuſiones quas comitantur multa ſcelera & flagitia. Ideo Exemplo Romanorum conviviis præſcribendus eſt modus; Ingens enim patitur detrimentum Respublica, quod ſumptibus illis Sympoſiorum atque apparatu immodico Nuptiarum, conviviorum Genethliacorum, Exequiarum ferculorum varietate ac ſplendore profunditur, in quibus, dum contentione quadam inſana tenuiores æmulantur opulentiores, & quisque ſplendidior convivator videri vult. Liberalem eſſe dicunt, qui conviviis exhibendis nimius eſſe ſolet: Magnificum, qui ultra ſortem ſuam oſtentat; Civilem, qui ſtrenuus eſt ſalutipotator. Ii, quibus res eſt anguſta domi exiguum patrimonium, ambitioſa ſtultaq; æmulatione disſipant, atq; in hiſce celebritatibus ac feſtis diebus decoqvunt, ut profeſtis eſurire cogantur.

Feſto die ſi quid prodegeris,
Profeſto egere liceat niſi peperceris,

ut loquitur *Euclio apud Plaut. in Aulul. Act. 2.* Quotidiè audimus hæc tempora eſſe gravia, omnia accidi, vitam vix eſſe vitabilem, civem poſſe emergere nullum, undique premi & undiq; exhauriri. Sed non animadvertunt in quantum ſibi ipſis quandoq; incauta prodigalitate exitio ſunt. jam præcedentis ævi Doctores graviter conqueſti ſunt. Cives qui manu victum quæritant nihil rerum pretioſarum, quas in divitum & nobilium men-

ſis viderunt, omittunt, nuptiali convivio æs alienum contrahunt, unde fit, ut ſponſus & ſponſa ſumptuoſitate iſta in portu rei ſuæ familiaris nonnunquam ita naufragentur, ut naviculum domeſticæ rei reliquo vitæ tempore vix ac ne vix quidem reſtaurare queant, de quo liberi poſtea grande fœnus exſolvere coguntur. *Klock, de Ærario lib. 2. cap. 97. num. 2.*

§. 6. De veſtitu hoc unicum dixiſſe ſufficiet, nimirum lingva ſancta Veſtis dicitur בגד quæ vox notat duo, (1.) Perfidiam, *Jeſai 24. v. 16. Jer. 12. v. 1.* (2) Veſtem *Levit. 13. v. 47. Levit. 7. verſ. 27. 2. Reg. 9. v. 13.* quo inſinuatur, quod veſtis ſit perfidiæ Protoplaſtorum noſtrorum erga DEUM nota. Cujus præ cæteris ſe reos faciunt, illi, qui temere novos affectant habitus, iisq; ſuperbiunt, & ſuperbiendi aliis materiam præbent. *Chriſtian. Matthias in Theol. Hiſt. Theor. Pract. in Paraneſ. ſub Dario Codomanno Imp. §. 19. p. m. 297.* Huic vitio præprimis deditus ſexus fœmineus, qui Chamæleonte mutabilior dicitur. Cum primum enim viderit veſtem aliquam peregrinam, ſive habitum, continuo illam affectat, quamque geſtare ceperit mane, veſperi pro obſoleta habet. Imo parum abeſt, quin Lacedæmoniarum veſtigia premant quæ veſtes ſuper genua geſsêre decurtatas. *Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c.* 10. Cum tamen quandoq; Ægyptiorum delubris ſimiles apparent, quæ foris pulcherrima, ſimulque ampla ſumptuoſis lapidibus exſtructa atque compoſita. Cæterum ſi intus Numen ſive DEUM requiſiveris aut Ciconiam, Simiam aut vitulum invenies. *Caſpar Ens in Moroſophia:* ita æſtimandæ ſunt Fœminarum quamplurimæ, quæ exterius ornamentis pretioſis indutæ ſunt: ſed ſi qvis velum templi aperuerit, laſcivientem inveniet ſimiam. Ideoq; ut ſtultus eſt, qui eqvum empturus,

non

non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frena: sic stultissimus est, qui hominem ex veste aut ex conditione æstimat. *Seneca.* Verum cum jam vitia abierint in mores, haud facile ipsis mederi est, *Lather. d. tractat. lib. 2. cap. 2. num.* 18. J. Cæsar impensis ejusmodi inutilibus modum sumptuariâ lege imposuit, quâ non solum cœna modum statuit, verum etiam Inquisitores circa macellum disposuit, ut vendentes ementesq; vetita esculenta punirentur. *Patric. libr. 5. de Reip. Instit. Tit.* 8. Adeum modum Magistratus Nomophylacis Censorisq; arma induere posse, utpote cujus est, eas ferre leges, quæ justam & temperantem privatorum vitam reddunt. Quis dubitabit. *Ordinat. Politic. de Anno 1548. tit. 15. §. 3. & de Anno 1577. Tit. 10.* Nam quis non potius lascivientem vitiis Rempublicam luxuq; perditos cives sumptuaria lege, quam sangvinaria coercere malit, *Ruremund. in Mammona* oder Schlüssel des Reichthumbs. *cap. 10. p. m. 31.* Quid? quod! non est opus novis legibus, jam ante decreta sunt, quæ servari oportuit, modo anima & vigor, à Magistratu legibus contra vitia concedatur. Leges enim sine executione sunt Campanæ aut nolæ sine pistillo, & quasi Magistratus mutus ac mortuus. Unde nihil tam mali exempti in Republica esse creditur, quam si leges nuper latæ non observentur, ne ab eo quidem, qui eas tulit, ut magis conducat à ferendis legibus abstinere, quam earum vim haud tueri. *Machiavell. de Republ. lib. 1. cap. 25.* inde natum etiam illud Germanicum:

Es ist ein N. N. Mandat/
Es hälts weder Bürger noch Rath.

Audiamus & nostrum SS. Imperatorem Justinianum *in præfat. Novell.* 161. qui, non tantum decenter leges ferre sum-

ſummo bono eſſe prædicat, ſed etiam ſancita accurate cuſtodire, & ad effectum deducere, transgreſſoresque competentibus pœnis ſubjicere. Quæ enim legum erit utilitas, ſi in literis duntaxat conſiſtant, non etiam per ipſa facta atque opera ſubditi utilitatem de ſe præbeant. Sed ſurdo narratur fabula. Multis in Comitiis Imperatorum & Principum eſt de hac re ſcilicet de frenis luxuriæ injiciendis actitatum, exemplo eſt *Ord. Pol. de Anno* 1530. *Caroli V.* (qui ſui temporis miraculum naturæ dicebatur de quo Ehrenberg *de Fœderibus* ita

Carole mortales dubitant homo ſisne DEUSve,
Sunt Tua ſceptra hominis ſed tua facta DEI.)

& ejusdem de Anno 1548. *Tandem Rudolphi II. de A.* 1577. Aſt, uti olim Satyricus de Lege Julia; ubi nunc Lex Julia dormis? *Juvenal. 1. Sat. 2.* ita & de hodierno veſtium luxu meritò exclamandum! ubi nunc Ordinatio Politica dormis? Citius Holoſericis ii utuntur & carruca etiam ornat quibus nominetenus prohibitum, quam ii quibus privilegii loco indultum, & freqventius ſericatos cernes qui nares cubito tergit, quam quem eo ornari Imperator voluit, ut vere obtineat quod *Ruremund. d. tractat. cap. 10. part. 2.* enuntiat: Wann man zu unſer Zeit / wie bey den Römern / ein Pfund Seyden umb ein Pfund Gold kauffen müſte / wie *Tiraqvell. ad L. 3. Connub. num. 17.* bezeuget / ſo würden die ietzund allgemeine Seydene Kleider und andere daraus erfolgte Pracht manchen verboten bleiben. Diogenes divitem indoctum ſed ſplendidè veſtitum χρυσόμηλον appellat, id eſt, ovem aureo, vellere *Laert. lib. 6.* Mos igitur Belgarum laudandus, ubi nemi-

nemini, ex auro, argento, ferico, vestimentum, indigno, & plebejo impunè gestandum permittitur, muß niemand Gülden Stück/ Posamenten/ Perlen/ und dergleichen tragen/ wo er nicht Accise davon gegeben und Licenz hierüber erlanget. *Bornit. de Ærar. lib. 4. cap. 2. p. m. 38.*

§. 7. Fructus ex hac sumptuum diminutione in Remp. redundant non vulgares. Primo vitiorum seges ac materia præciditur imprimis luxus, quippe qui non parva Reipublicæ evertendæ causa est. Præterea concordia publica firmatur. Nam ubi sumptuum licentia demitur, & sua cuiq; res familiaris constat; ibi etiam Rapinarum & rerum novalium occasio præciditur. Tandem & sumptuum supervacaneorum diminutione ac frugalitate domestica & publica onera redduntur leviora & facilius sustinentur, imò & tota Respublica eo modo ditatur. *Klock. de Ærar. lib. 2. cap. 99. num. 28.* Cui adstipulatur *Boxborn. lib. 1. Inst. Polit. cap. 10. in explanat. §. 1. p. m.* 214. Certe, inqvit, sumptuariæ leges quamdiu in Republica durant, magis pares ferendis oneribus subditi redduntur. Quicquid enim à non necessariis rebus abstrahitur, necessariis ad tributa opibus privatorum sine ullo incommodo adjicitur. Itaq; Reipublicæ necessitati optimè satisfacere potest, qui in necessaria sua impendit bona. (2.) qui inæquales sunt revera æquales quodammodo fiunt; aliàs si opibus inæquales & superioris exemplum luxus proponunt, subvertuntur pauperes dum sequi volunt. Hinc decoctores & bancoruptores *Latbir. de Cens. lib. 2. cap. 2. num. 31. & 54.*

§. 8. Hactenus diximus de rebus ad vitam specifice necessariis, quod hisce regulariter Accisa imponi nequit, nisi summa hanc collectationem requirat necessitas. *Klock. de Ærar. lib. 2. cap. 78. num. 5.* ubi tamen modica & levis esse debet. In rebus non ita necessariis gra-

vior Jure optimo, poteſt, uti eſt Vinum, quia hoc in uſu tantum divitibus. Ita graviſſimam Acciſam huic imponunt Belgæ, *Boxborn. d. l.* §. 3. & 4. (2.) Vinum aduſtum, quod olim vice medicamenti ſumptum, hodie ejus ingurgitatio apud Germanos frequens eſt, de quo *Klock. de Ærar lib. 2. cap. 15. num. 3. & 4. cum Bornit. lib. 2. de rerum ſufficient. cap. 17.* optandum eſſe dicit, ut abuſus iſte cohiberetur. Nam multa millia modiorum ſiliginis & tritici quæ ad uſum panis & Cereviſiæ prodeſſent, hoc potu inſumuntur & prodiguntur, quo & multi inebritati, repentina morte & ſomno ſepulti interierunt. (3) Omnis ſpecies aromatum, de qua in *l. 16. §. 7. ff. de Public.* (4.) Merces Mercatorum.

§. 9. Qvamvis quidam reperiuntur, qui haſce ab onere hoc eximant, eâ ſcilicet ratione, quod eorum bona multis caſibus, belli incendii ac debitorum foro cedentium obnoxia ſint. *l. ſemper 5. §. negotiatores. 3. ff. de Jur. Immun.* Deinde mercatores merces advehendo ac invehendo vectigalia pontium, viarum, & portarum ſolvunt ideoq; non ſunt duplici premendi onere. *Robert. Weisſius in tract. qui inſcribitur* Rechtliches Bedencken über einen wegen des Krieges Anlagen zwischen zweyen Ständen sich erhaltenden Rechtstreit. *num. 64.* Attamen contraria ſententia in jure approbata & quidem *in l. filii 22. §. fin. ff. ad Municip.* ubi dicitur, qui fœnus exercent, omnibus patrimonii contributionibꝰ fungi debent, etſi poſſeſſionem non habeant. *Klock. de Contribut. lib. 11. num. 86.* Non obſtat *L. 5.* quia non loquitur de omnibus mercatoribus; ſed de his qui publicè à Magiſtratu ad hoc conſtituti ſunt, ut annonam Urbis adjuvent. Vel loquitur de Perſonalibus non patrimonialibus muneribus. *Bocer. d. tract. cap. 10. num. 3.* Nec altera

ra ratio obstat; alio enim ex causa solvuntur vectigalia, alia itidem Accisa, Illa præstantur, ut loci Magistratus tutam, salvam ac integram peregrinantibus viam servare facilius possit, *Matth. de Contrib. cap. 5. num. 25.* Hæc vero ob mercium advectarum venditionem. *Bornit, de ærar. lib. 5. cap. 11.*

§. 10. Quomodo verò Accisa à Mercatoribus exigatur operæ pretium est, investigare. Sunt qui juratoriam professionem ab ipsis exigunt, ut quantum lucri ex mercibus venditis annuatim ceperint, tantum etiam vectigalium in proportione Reipubl. solvant. Alii statuunt merces denunciandas esse priusquam vendantur. Quæ res tamen difficultatis & fraudis plena. Etenim si conscientia non cohibeantur, quidni tentent Institores. Ideoq; prior probabilior est opinio *Bornit. de Ærar. lib. 5, cap.* 11. *Klock. de Ærar. lib. 2. cap. 71. num.* 3. (5.) Tabacum & similia venditioni obnoxia quæ non faciunt directò ad vitæ sustentationem, sunt Accisæ objectum. Quamplurimi etiam Dd. Judiciariam constituunt Accisam, ad minuendas lites & malitiam temere litigantium & appellantium refrenandum. *Georg. Mund. à Rodacb. in sæpissimè alleg. tract. de Munerib. cap. 9. num. 31. & ibi allegati. Ruremund. in Mammona cap. 28. Lather. de Cens. lib. 2. cap. 7. Klock. de Ærar. lib. 2. cap. 123.* ad coercendam etiam blasphemiam & ejusdem farinæ scelera. *Lather. d. l. lib. 2. cap. 4. Ruremund. cap. 26. Klock. d. l. lib. 2. c. 126.* Attamen cum in definitione Nostram, circa rem vendibilem versari, posuimus, ad quam hæc referri nequit. Ideoq; nostri fori non est

CAPUT IV.

De
Personis, quæ Accisam solvere coguntur.

§. 1.

TRactatione Personarum, quæ constituere, & hanc imponere possunt, absolutâ, objectoq;, circa quod versetur; etiam enucleato, justa methodi lex postulat, ut, quales personæ possint ad hanc adstringi, dispiciamus. Et quemadmodum, non omnes res Accisæ esse obnoxias, in præcedent. cap. diximus: ita etiam nonnullas ab hac eximi Personas, certum est, præprimis cum per modum impositionis debeantur. *Knichen. de sublimi territorii Jure cap. 3. num. 332.* quapropter etiam tales, qui Jurisdictioni imponentis parent, præsupponit. *l. rescripto 6. §. fin. l. munerum. §. patrimoniorum. ff. de Munerib. Klock. de Contribut. cap 11. num. 5. Robert. Weisſius in d. tract. num. 74.*

§. 2. Hinc quæstio, Anforenses teneantur ad nostrum Contributionis modum facillimæ est enodationis & negamus propter rationem hanc quod desit fundamentum juris collectandi, nempe jurisdictio. *Klock. d. l. cap. 3. num. 159.* Ergo nec actus hujus in forensem & non subditum exercere potest. *Klock d. l. cap. 13. num. 5. Cravetta Conf. 195. num. 1. Matth. de Contrib. cap. 6. num. 3.* Plures qui desiderat rationes ipsum adeat. *Klock. de Contribut. cap. 5. à num. 13. usq; ad finem ferè.* Imò quasdam etiam collectantis Jdictioni parentes, privilegium & pietas excipere jubet nam & in personalibus Ecclesiæ; Ministros & Dd. imò etiam Advocatos, studiosos si eo degant, ubi privilegiato foro frui nequeant Jdictioni Magistra-

giſtratus oppidani ſubeſſe verius æſtimo. *per tradita Dn. Mevii ad Jus Lubecenſe qv. prælimin. 3. num. 62.* Interdum tamen etiam onerari poſſe nullus dubito, ſi ob urgentem neceſsitatem rebus ad victum neceſſariis aliquando imponatur, nam ita res non tam difficultatis plena, ſed etiam impoſsibilis fiet forenſes vel advenas excipere, imò eo intuitu ſi inibi emere vel vendere ſatagerent pro modo impoſitionis factæ cogerentur. Per rationes quas in ſimili abducit *Dn. Mevius ad Jus Lubec. lib. 1. art. 2. tit. 2. num. 21. & ſeq.* Imò ſi privilegiato foro fruuntur: e.gr. quando miniſtri Eccleſiæ, Studioſi Literati Jurisdictioni Magiſtrat9 Academici ſubſint, ac is Magiſtratus cum Magiſtratu oppidano de exſolvendis Acciſis rebus eſculentis vel potulentis conveniat, invitis tamen exceptionis privilegio munitis minimè præjudicaret; cum eadem privilegia & immunitates haud conceſſerint nec concedere potuerint. Etſi hoc, minimè quoque iisdem derogre poterunt, ne in ipſas Imperatorias & Principum Sacras leges incurrere malint. Cum itaq; omnis acciſa vel impoſitionis, ab eo ſci qui ejus poteſtatem habet; vel conventionis jure debeatur; impoſitionis modo ab iis, qui Jdictioni ſubſunt, niſi immunitatis ratione ſpeciali privilegio gaudeant, vel conventionis vigore, in ſtudioſos tamē ob appoſitam rationem nullo modo ſine ſuperioris conſenſu extenderetur.

§. 3. Et quidem quod Eccleſiæ miniſtros attinet, hi jure merito prætendunt immunitatem, quæ uti à ſana ratione non deflectit: ita ex Sacra etiam Scriptura exacte demonſtrari poteſt. Ratio; Perſonæ Eccleſiaſticæ non habent naves ſecundo, in Indiam euntes vento, nullo item domi exercent commercia, nullas artes manuarias. Secus ſi negotiantur, tunc licite ab iis de eo quod emunt, venduntve, exigi poteſt. *c. quanquam X. de Cenſib.* Salarium eorum vix centum unciales excedit,

 ccdit,

cedit, quod ipsis ad necessariam sustentationem confertur, quo non lucrum exercent; sed se suosque ægrè sustentant & alunt, ideoq; muneribus excidunt. *l. suo victu* 18. *l. pen. ff. de oper. Libert.* *Rodach. de Munerib. cap. 6. n. 31.* Sacra scriptura has immunes prædicat. Moses numerabat capita filiorum Israel, qui in hoc numero attigerat annum ætatis vigesimum, aut plures, dabat pretium. *Exod. cap. 30. v. 12. 13. 14.* Sed *Num. cap. 1. vers. 49.* dixit Deus: Tribum Levi nolito numerare, neque ponas summam eorum cum filiis Israel. Hoc etiam notandum quod sacerdotes Ægyptiorum tempore famis ne hilum Tributi solverint. *Gen. 47. v. 22.* Joseph. *vers. 24.* legem, de quinta ex agris Ægyptiacis, parte Regi danda tulit; ab hac autem Contributione *vers. 26.* terram excipit sacerdotalem.

§. 4. Sunt qui urgent. locum *Matth. 17. v. 24*, ex quo immunitatem Clericorum infringere conantur, ubi Christus solvit didrachmam: qui locus potius contrarium ponit; Nam Christus *v. 25.* ait: Quid tibi videtur Simon, Reges terræ, à quibus accipiunt Tributum, à filiis suis an ab alienis? Sensus itaq; verborum hic est: A rectæ rationis tramite devium est, ut Reges & Principes liberos suos gravent tributo: sunt enim ex Regia nati prosapia, & consequenter liberi, nec istiusmodi oneribus onerandi. Hoc si veritati, ut est, conveniens, non debebat à me exigi tributum, qui, non tantum ex Regio Davidis sangvine, ortum habeo; sed sum etiam filius Regum unigenitus. Vosq; discipuli mei estis, domestici mei. Ergò contra jus, & omnem æquitatem â nobis exigitur tributum. Interim *vers. 27.* demus, ne scandalicemus eos.

§. 5. Faciunt etiam pro affirmanda nostra intentione, non modo Juris Civilis. *l. 22. C. de SS. Eccles.*

sed

ſed & Canonici placita *d. cap. quanquam de Cenſibus in 6to. c. non minus. c. adverſ. X. de Immunit. Eccleſ. Bocer. d. tr. l. 11. n. 16. Klock. de Contribut. cap. 13. num. 1.*

§. 6. His & ſimilibus rationibus *Michael Havem. in Helice Hierotractica ſ. in Diſſert. Th. Polit. de Jure Epiſc. Tit. 6. §. 4. p. m. 90.* motus exclamat; Salva conſcientiâ Miniſtros verbi Divini in Urbibus tempore pacis & pacato rerum ſtatu Acciſa & aliis oneribus exagitari non poſſe. *Et in fine ejusdem §.* Qui itaq; ſuis Acciſis onerant in Eccleſia docentes, annon in Deum ipſum, in divinum officium, in ædificationem Eccleſiæ extremè ſint injurii? Quando autem Magiſtratus aliquis tamen à recta ratione peregrinatur ut nihil curet, ſed cœco ac plumbeo impetu feratur; æquo animo hoc ferant pii Eccleſiæ Miniſtri, dentq; Acciſas hilari animo, ut accipiant aurum Tholoſanum qui delectantur. Hactenus ille.

§. 7. Quantum verò ad Doctores, Advocatos & alios qui Clericorum jure fruuntur eadem cujus ſupra mentionem fecimus diſtinctio, repetenda eſt ſi alicubi locorum diverſæ Jurisdictionis Magiſtratus degeret, & cives vel de Acciſis convenisſent vel ſuperioritatis jure impoſitas recepisſent, Magiſtratus verò alter vel contradixisſet, vel quod imponere non posſet, ceu privilegiatis, ſe excuſaſſet, per rerum naturam quod oppidani fecerint privilegiatos haud tangit; cum JCto deficiat, imò vix tangeret, licet etiam cui ſubſunt Magiſtratui convenisſet, quod privilegia à ſuperiore indulta idem auſferre nequeat. Sin autem oppidani Magiſtratus Jurisdictione ſubeſſent patrimonialibus quidem tenebuntur, ſed quæ per indirectum perſonæ jus premerent, vix eo adigi valerent, cum nemo ipſorum privilegio derogaret niſi qui concesſit; Aſt ſi præter ſpem ingens urgeret necesſitas quæ communia univerſitatis jura aflice-

ret

ret vel securitatem respiceret, se subducere nequirent. *arg. l. ad Instructionem C. de S.S. Eccl. l. ad partus C. de operibus publ. l. fin. C. de quibus munerib. nemo se excusare. Natta Consil. 280. num. 5. Klock. de Contribut. Conclus 34.* Necessitas quippe magnum imbecillitatis humanæ patrocinium est, & haud evitabile telum; Ast & necessitatis tempore probe respiciendum, quomodo onus privilegiatis hisce induatur. Persuasionibus ne an incompetenti ac vano sæpius coercendi remedio. Quo posteriori si incauti utantur facile proposito excident & levamento qua cauti ac molli via potiri potuissent. Quis quippe certo loco retinebit invitos ut cariori annonæ se mancipent, quos Imperator & Principes liberos & ab omnibus oneribus immunes pronunciavit. *Auth. habita C. N. Filius pro patre.* Unde inferioris Germaniæ ordines cum Accisæ onerum publicorum vices ubique habeant, Studiosos tamen ac Professores plurimum exceperint.

§. 8. Cæterum quantum ad Marchiam Nostram, & quidem in specie privilegiati olim, si in Civitatibus habitant, ac mercaturas exercere volunt, iisdem, quibus Cives oneribus gravabantur, unde etiam coquentes Cerevisiam venalem Accisam solvere tenerentur, uti testatur *Scheplitz. ad Consuetud. March. tit. 13. p. 4. §. 1. & 2.* Die von Adel in den Städten wohnhafft / sollen / ungeacht einiger Freyheit / von ihren Haab und Gütern die sie in den Städten / oder den gehörig und zugelegen / haben / den Städen steuren / und von den Brauen so sie in den Städten thun; imgleichen von dem Bier das sie sonst in ihre Häuser in die Städte schaffen / davon zuvor das Biergeld nicht gegeben / sollen sie / wie Bürger / das neue Biergeld entrichten. Hoc tamen extenditur ad Cerevisiam venalem, non quâ ad necessitatem utuntur. Bis enim quotannis Nobiles in Civitatibus degentes, pro usu familiæ cerevisiam coquere

quere possunt sine præstatione Accisæ. *Id. Schepliz. d. l. n. 4.* Wenn die von Adel in die Städte ziehen/haben sie für ihre Hauß jährlichen/ doch daß sie nicht schencken und sonsten Bürgerliche Nahrung treiben/ zwey Brauen Bier Ziese frey. Quod procedit etiam, licet sub conditione in Civitatem sint recepti, ne Cerevisiam coquant, tamen pro familia coquere non prohibentur. *Id. Schepliz. in addit. d.* §. Pauperes, uti de Belgio testatur. *Klock. de Ærar. lib. 2. cap. 78. n. 4.* quod illi qui non 600. florenos in ære habeant ab extraordinariis muneribus immunes sint.

CAPUT V.

De
Fine & Effectu.

§. 1.

QVemadmodum Status Reipublicæ suprema lex est: ita etiam finis & effectus huic debet correspondere. Illa autem consistit in sui ipsius conservatione ac defensione, quæ aliter fieri nequit, nisi ope & opera à subditis succurratur, præsertim si Necessitas & Utilitas hoc efflagitat, quæ unica basis & fisci curandi regula, sola contributionum causa impulsiva & finalis est, quæ qualitatem substantialem inducit, & ad quem solummodo Respectus habendus. *Cacheran. Cons. 31. n. 36. Boxhorn. in Instit. Polit. lib. 1. cap. 10. in exeges. §. 1. p. m. 214. Bocer. de Jure vectig. cap. 1. num. 3.*

§. 2. Requiritur autem (1.) ut de hac publicè constet & probetur, nec sufficit illam solum allegare *Besold. de Ærar. cap. 4. n. 2.* quod alii etiam de Principe affirmant, nisi simul Proceribus territorii constet, de quo *Klockius de Contribut. cap. 7. num. 61. Bocer. d. l. num. 9.* Hinc *Klock.*

 d. l.


d. l. num. 16. exponendam putat in Conventu publico, auff öffentlichen Landtagen / quo subditi cognoscant Principem non pro arbitrio & beneplacito, sed coactum necessitate onus imperare. (2.) Sciendum quod h. l. dictum de Necessitate, non tantum de inevitabili aut utilitate directo ad commodum Reipublicæ spectante intelligendum: sed sufficit etiam quæ per indirectum saltem publice prodest. *Georg à Rodach. de Muner. c. fin. n. 25.* Quod si jam de hac constat, omnes regulariter indictas tenentur solvere collectas, nec resciptum intempestivè super earũ immunitate obtentum quicquam valet, censetur subreptitium atq; effectu & viribus carere responsum est, *in l. pen. C. de Vectigal. Zœs. ad tit. ff. de Publ. num. 8.* Rescripta enim ita intelligenda sunt, ut nemini injuriam faciunt, & intentio Principis talis esse præsumitur, qualis est legum candor & rationis naturalis integritas. *Gail. 2. Pbserv. 76. num.* 11. fallit tamen in hoc si clausula ex certa scientia addita *Magnif. Dn. D. Brunnemann. in Comment. Cod. ad l. pen.* Quapropter recusantes juste ad solutionem per viam executivam, si eos teneri certò constat, cogi possunt. (Secus si dubitetur, nam tunc causa cognita procedi debet ne ab executione incipiatur. *l. 3. C. de off. omn. Judic. Robert. Weissius d. tract. num. 37.*) & vel sequestratione vel mulctis, ubi enim non prodest subsidii charitas adhibenda est Jurisdictionis potestas, Növensirunck *d. tract. num. 105. p. m. 81.* vel pœna Commissi, ut in materia Accisarum *l. fraudati.* 8. *l. commissa.* 14. *ff. de public. Koppen. decis. 50. num. 5. Zœs. Tit. de Public. num.* 21.

§. *3.* Nam omnia quæ hac ratione de collectis dicta Accisarum quoque ratione obtinent, ac quo magis

gis

gis Accisæ irregularem modum sapiunt eo, cautius quoque ut nisi maxima necessitate & ad onus præter spem publicum urgens sublevandum, deficientibus commodioribus remediis imponatur. Simulq; an reliqui circumstantiæ fini respondeant probè considerandum; Nullibi quippe reperire est Accisas fini levandorum onerum satisfecisse, in Monarchico Statu, in loco commercii infrequente, ubi alias annona premit, incolarum paucitate laborante. Pluribus hæc deducere meditanti temporis angustia quæ qualiquali huic Dissertationi conscribendæ restabat manum vellicat. Ab iis veniam facilius mereri confido, quibus festinatio incomperto fuit, quam certum spatium operi absolvendo datum postulavit. Si non materiæ dignitati; mori tamen Academico Doctoralia privilegia impetraturo debito satisfecero. Boni eadem benignè interpretabuntur, iniquorum ac malevolorum judicium juxta æstimo.

Deo autem cui initium etiam finem consecro.



JUS ACCISARUM.

Per Anagr.


JUS CARUM, SICA.

JUS ACCISARUM, quid ſit, me quæris, APICI?
JUS CARUM; quid? quod Jus tua SICA manet.
JUS CARUM, quia cara caro tibi venditur, eſtne
Hoc tibi JUS CHARUM? non puto, SICA gulæ.

APICIUM, qui ad omne luxus ingenium mirus fuit, judice Plinio, librisque de irritamentis gulæ ſuæ poſteritati ſe commendavit, vivis coloribus depingit *Henric. Salmuth. in not. ad Guidon. Pancirolli JCti, nov. repert. lib.2. Tit. ult. p.m.737.* hiſce verbis. *Apicius ille, artis culinariæ ad omnem luxum archimagirus famoſiſſimus & tantum non Gurges Nepotinus*, inter alias lautitias etiam Multas piſces in garo enectos, ſapidiores fieri douit: quemadmodum & hœdi carnem à lupo morſam teneriorem fieri & delicatiorem eſſe; atq; ideo aliis jucunditate præcellere fuit creditum, ut non injuriâ forſan à Martiali tantopere laudetur:

Hœdus in humani raptus ab ore lupi.

Eqidem neq; artis hujus ſcientiam mihi laudi admodum, neq; etiam inſcitiam fraudi fore confido &c.



In gratiam gulæ Procerum
f.
PETRUS Schultz /
Francof. March.

❧§(o)§❧